

tus, ad Julium velle se conferre palam fecit; profectusque Coregium, quod municipium abest Mantua passuum millia circiter triginta, ibi se adversa valetudine correptum simulans domum rediit. Interim, quoniam Paulus clare ad Senatum scripserat, nihil se confidere boni a reipublicæ exercitu posse confici, Julii ducibus in contraria omnia obstinate nitentibus ne Alfonso domo expellatur, Senatus ad eum rescripsit, omnem curam adhiberet ne pugnare cogeretur: pro explorato enim sibi esse, si manus conferat, illos eum media in pugna deserturos. Itaque Paulus cum per se se, tum a Senatu admonitus operam dabat, ut neque timoris indicium sui hostibus proderet, neque universum exercitum periculis objiceret. quamobrem in minutis & quotidianis expeditionibus cum Gallis, qui ad Padi ripam venerant, sæpe congressus, non semel eos fudit, fugavit, superiorque manu semper, inferior nunquam fuit. tantum Paulum Manfronium Galli hostes cum X. equitibus captivum fecerunt. Neque a Gritto quidem legato eodem tempore hostes non male habiti. quas quidem pugnas referre nihil necesse esse duximus. Venerat autem antea Bononiam Matthæus Lancus Curcensium Episcopus ex Germania magno comitatu, homo arrogantia & elatione insignis, a Maximiliano missus, ut cum Julio de fœdere cum Venetis ineundo ageret. qui paucos ibi dies moratus, cum nimis duras pacis conditiones attulisset, infectis rebus in Germaniam rediit. Senatus quoque censuerat dignitatis & existimationis apud Julium reliquosque reges retinendæ causa, ut equites gravis armaturæ, quos habebat, ad duum millium numerum augerentur, militum sex millia veteribus addenda conscriberentur. paucisque post diebus ei Senatusconsulto alterum fuerat Senatusconsultum additum, ut ex Epiro equites mille levissimi accerferentur: uti etiam magnum arcuum numerum amphorasque vini Cretici quingentas Petrus Pisaurus, cui cum rege Britannia necessitudo mercaturæ exercendæ causa intercedebat, ad illum mitteret, fuerat a Senatu permissum. Mauro autem classis